





1776.

1. Kraus, Franciscus Josephus: De vicariatu Helvetico.

1778

1. Chalen, Christianus Casimirus: De servis Melhiopatus Europae et in 12 coloniis Americae
2. Meyler, Johann Wilhelmus: De vicariis Imp. Rom. Germ. specialim de vicariatu Germaniae Inferioris Praes. N III Imperiae regiae. 1338 Commissio.

1779

1. Reisseisen, Johann Daniel: Jurisprudentiae dogmaticae specimina II.

1780.

1. Kern, Anton Henricus: De potestate Imperatoris circa emersionem privilegiorum.
2. ~~Chermann~~ Reisseisen, Johann Daniel: De veneficio doloso.

1782.

1. Chermann, Johanns Franciscus: De veneficio culpato.

1783.

1. Braun, Johannes David : Num beneficium competentialiter in beneficium aliud in de provisionibus eod. alteri atque donari possunt?
2. Braun, Johannes David : Historia juris adrecedendi
3. Darnstedt, Benedictus Franciscus Carolus Pentaleon :
De militari testamento.
4. Foccart, Albertus Josephus Blasius : De domiciliis
5. Rösserisen, Johannes David : De renovationibus legum
morum
6. Treitlinger, Johannes Christianus : De origine decimarum
ecclesiarum
7. Wuster, Joh. Henr : De poena homicidii secundum
leges Germanicas et Gallicas.

1764.

1. Brackenkupper, Jacobus Ferd : De finium regundorum
actione.

al

ni

1 -

alkin

in

in



1. ...
2. ...
3. ...
4. ...
5. ...
6. ...
7. ...








UNIVERSITÄT PADOVA
SIGILLUM ITALICO

PRO LICENTIA
ET ADU DOCTORIS

IN ACADEMIA PATAVINA
SACRAE THEOLOGICAE

1771





MEDITATIONES
AD
QUÆSTIONEM

NUM

Beneficium competentiæ alimenta-
inde provenientia cedi alteri atque
donari possint?

SUB AUSPICIIS DIVINIS

PRÆSIDE

JOHANNE DANIELE BRAUN

J. U. D. ET INST. IMP. P. P. O.

IN UNIVERSITATE ARGENTORATENSI

AD DIEM XVIII. SEPTEMBRIS A. R. S. MDCCCLXXXIII.

DEFENDET


FRANCISCUS XAVERIUS HERRMANN

ARGENTORATENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Literis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.



MEDITATIONES

AB
QUESTIONEM

PER JOHANNEM COMPOSITOREM ALIQUOTIUS

IN HOC PROPOSITO CUIUS ARGUMENTUM

EST

DE

THESE

JOHANNES DANIEL BRAUN

IN UNIVERSITATE ARGENTORATENSIS


LEONHARDUS XAVIERUS BERGMANN

ARGENTORATI

MDCCLXXIII

ARGENTORATI

IN LIBRARIIS HERTZII, BUCHHOLDII, ET



11
12





I. Inter varios obæeratorum inopiam sublevandi modos in legibus Romanis passim obvius, occurrit privilegium, quod certis personis ex causa civili conventis indulget, ut eatenus tantum condemnentur, quatenus facere possunt, salvis alimentis. *L. 16. sqq. ff. de Re judic. L. 173. pr. ff. de Reg. jur.* Jus hoc singulare COMPETENTIE BENEFICIUM appellare Doctores amant, atque multas circa illud quæstiones proponunt admodum controversas, præsertim cum legibus de iisdem silentibus, amplius decertandi campus Jureconsultis aperiatur, atque litium decisiones pendeant e rationibus ab analogia juris petitis. Haud ultimum inter illas locum obtinet controversia de *beneficii competentie alimentorumque inde provenientium cessione atque donatione.* Donatio est actus liberalitatis, quo quis rem aliquam in alterum accipientem gratis transfert. *L. 1. pr. L. 29. pr. ff. de Donat.* Cessio vero actus, quo jus aliquod titulo sive gratuito sive oneroso ita trans-

fertur, ut cessionarius quoad juris cessi exercitium in cedentis locum substituatur. *L. 25. ff. de Procurat.* DONELUS in *Comment. Lib. 15. cap. 43.* Ad donationem aequae ac ad cessionem ex parte transferentis requiritur libera de re disponendi facultas, atque inter cessionis requisita praeterea illud communiter referunt, ut objectum ejus sit transmissibile. BERLICH. *P. 1. conclus. 74. n. 150.* & licet ordinarie dominus rem suam donare valeat, atque ex generali fere omnium Doctorum opinione ponatur regula: omnia jura omnesque actiones cedi posse. BRUNNEMANN *de Cessione actionum cap. 4. n. 1.* Haec ipsae tamen regulae subinde limitationes recipiunt, ut adeo non inepte moveatur quaestio: an beneficium competentiae & inde provenientia alimenta regulam sequantur, an vero exceptionibus annumeranda sint? Variarum omnino hac de re ac discrepantes deprehenduntur jurisconsultorum sententiae, ut operae pretium facturus sim, specialius in rei veritatem inquirere & speciminis academici loco quid ipse de aliquibus, quae hic occurrunt speciebus sentiam, breviter exponere.

II.

De illo quidem non ambigitur jus ipsum alimenta ob beneficium competentiae percipiendi ita cedi alteri non posse, ut idem cessionario continuetur in casibus quibus debitor illo uti amplius nequit. Omnes quippe inter se

consentiunt, ut talem cessionem nullam dicant, tanquam naturæ beneficii nostri prorsus contrariam. Quum enim plus juris ad alterum transferre nemo possit, quam ipse haberet. *L. 54. ff. de Reg. jur.* eaque perpetua sit jurium ratio, quæ a concedente ad alterius vitam vel conditionis existentiam dantur, ut decedente persona vel existente conditione expirent, nulla dubitatio est, quin beneficium competentiae tanquam jus ad privilegiati debitoris personam restrictum. *L. 24. sqq. ff. de Re jud. L. 63. §. 1. ff. pro Socio. L. 12. sqq. ff. Solutio matrim.* eumque in finem, ne ipse egeat, concessum. *L. 173. pr. ff. de Reg. jur.* morte privilegiati cesset, sive in casu, ubi ad eam rursus perveniat fortunam, ut ipse alere se possit.

III.

Illud vero in controversiam vocatur, num exercitium juris alimenta ob beneficium competentiae debita petendi, sive pecunia exinde percepta vel percipienda ad tempus, quo debitoris privilegiati jus durat, cedi alteri vel donari possit? Cessio fit vel titulo oneroso, vel titulo gratuito, atque concernit alimenta sive præterita, sive futura. Singula jam in specie examinanda veniunt & quidem primo loco agendum est *de cessione ex titulo oneroso*. Alimenta constituuntur duplici modo, debitori enim vel fundus aliquis ex bonis suis relinquitur, ex cujus proventibus necessariam vitæ suæ sustentationem capiat, aut

aliqua pecuniæ summa in singulos annos vel menses assignatur a creditoribus ipsi solvenda. COLERUS *de Processu executivo*, P. 2. cap. 3. n. 124. sq. Quocunque modo illa definita sint, valere arbitror cessionem ea lege factam ut debitor loco ususfructus rei sibi relictae vel pecuniæ sibi præstandæ aliud quid a cessionario accipiat, ex quo necessaria habeat alimenta. Quis enim dubitaret, creditores solvendi debitoris demens moram facientes impedire non posse, quominus privilegiatus de *alimentis præteritis* disponat, sive ad refundendas expensas in nutritum suum hæcenus erogatas, sive ut in posterum lautius exhibeatur. Sua enim cuique mora, non aliis, nocet. L. 173. §. 2. ff. *de Reg. jur.* atque ex L. 10. §. 1. L. 18. §. 1. ff. *de Aliment.* & L. 1. *Cod. de Fideicomm.* probatur, quod præterita alimenta exigi queant tanquam purum & simplex debitum. WESENBEC. *ad tit. de Transact.* n. 5. CAREZOV. *lib. 4. resp. tit. 8. resp. § 8. n. 4. sqq.* Nec aliud obtinere debere sana ratio docet, si id, quod per parsimoniam ex alimentis sibi reliquum est, in utilitatem suam impendere debitor velit; cum liberum ipsi sit quavis ratione beneficio uti, nec creditorum interesse demonstrari possit. Ex eadem ratione etiam sustinetur *futurorum alimentorum cessio*, nec obstat, quod ab aliis objici solet, in creditorum præjudicium vergere posse, si rei pro alimentis concessæ ususfructus in alium transferatur, si quidem alimenta pro ratione personæ variant, neque una & conformis est omnium indigentia. BRUNNEM. *de Cef-*

siane actionum, cap. 4. n. 26. Manifesta enim est iudicis vel creditorum fundum aliquem alimentorum nomine assignantium intentio debitorem fructus inde percipere posse quoscumque ordinarios, ut igitur tantum alimentorum determinatum esse præsumatur, quantum emolumenti producere res valeat, atque si alius jus usufructus exerceat perinde sit ac si ipse debitor utatur fruatur. Nec de hac sententia demoveor reliquis, quæ in contrarium afferuntur argumentis, quod nimirum in genere cedi nequeant, quæ ad heredes non transmittuntur, quodque in specie competentæ beneficium tanquam jus personale omnis cessionis expers sit. *arg. L. 57. §. 1. ff. de Usufr. & §. 3. Inst. eod.* vid. SALGADO DE SOMOZA in *Labyr. Cred. P. 1. cap. 26. n. 14. §. 17.* Priorem enim regulam fallere, imo omni eam fundamento destitui docet LAUTERBACHIUS in *Collegio ff. tit. de Heredit. & Action. vend. §. 29.* atque ulterius deducit GEORG. ANDR. JOACHIM in *dissert. de Cessione benef. comp. habita Lipsiæ 1733. resp. CHRIST. GEORG. AGNER, §. 15. sq.* Ad posterius vero respondeo competentæ beneficium personale tantum ideo dici, quod illud soli debitoris qualitati concessum, quamdiu ista qualitas perdurat, subsistat. *arg. L. 68. ff. de Reg. jur. nec ejus fidejussoribus profit. L. 24. §. 41. pr. ff. de Re jud. L. 7. pr. ff. de Except.* vid. HENR. DE COCCEJI *dissert. de Cessione eorum, quæ ad heredes non transeunt cap. 4. §. 10. Vol. 2. dissert. 65.* quodque nulla ejus sit ad heredes transmissio. *L. 12. sq. ff. Solut. matr.* Ad quem

unicum casum pertinet *d. L. 57.* ex his vero minime sequitur, omnem circa illud dispositionem, ejusque cessionem privilegiato esse interdictam. SCHILTER. *Exerc. 8. §. 16. in fin.* Nec aliud evincit dictus §. 3. *Inst.* quippe in quo tantum asseritur, quod extraneo cedens usufructum, sive jus utendi fruendi, nihil agat, atque inefficax sit ejusmodi cessio, uti THEOPHILUS tradit; cum contra ex *L. 12. §. 2. L. 38. ff. de Usufructu*, & ex *§. 1. Inst. de Usu & Habitatione* clare probetur utilitatem & fructuum inde provenientium perceptionem transferri in alios posse. EVER. OTTO *ad d. §. 3. Inst.* Accedit, quod singularis ratio in usufructu sit, qui teste PAULO *Lib. 23. ad Edict. L. 15. ff. Familiae ercisc.* a personis discedere sine interitu sui non potest, quæ adeo in omnibus aliis juribus personalibus non æque obtinet. Stabilita igitur debitoris facultate exercitium juris sibi competentis alteri cedendi, exurgit nunc quæstio: An cessio hæc, ut valida sit, auctoritate judiciali indigeat? potior mihi videtur esse negativa sententia. Nullibi enim leges solemnitatem hanc requirunt, atque *L. 8. ff. de Transact.* exceptionem continens respectu transactionis de alimentis futuris ultima voluntate relictis regulam firmat, quæ pactiones alias de alimentis, inconsulto etiam Prætoris initas, ratas esse jubet. DONELLUS *ad L. 8. Cod. eod.*

IV.

Progredior ad alterum divisionis membrum, *cessio-*
nem

nem puta titulo gratuito factam, nec non ad alimentorum donationem. Versantur illæ circa *alimenta futura vel præterita.* Quod *priora* attinet duplici modo disquirendum est, an cessio ipsorum valeat, tam considerata debitoris persona, quam habita ratione creditorum. Etenim debitor privilegiatus, qui jus suum redditus percipiendi in tertium aliquem transfert, ut hic absque retributione ulla, quæ alimentorum loco sit, eos lucretur, aut aliunde exhibere se potest, aut necessariis vitæ subsidiis destituitur. Utroque casu translationem beneficii competentia invalidam esse statuo. Quod si enim necessaria alimenta aliunde habeat privilegiatus, ex ipsa natura sua beneficium nostrum cessat, nec ad quidquam amplius præstandum tenentur creditores, quorum obligationem conditionatam esse supra diximus, atque restrictam ad casum, ubi egendum sit debitori, nisi ipsi legis beneficio succurratur. Nec magis cessio sustinetur in casu posteriori ob defectum intellectus in cedentis persona, nam insani hominis est absque omni spe commodi necessariis se privare alimentis, atque spreta, quam leges sibi largiuntur corporis sustentatione, panem ab aliis emendicare. Accedunt argumenta ex *ll. 5. § 7. Cod. de Inoff. donat. L. 49. sq. ff. de Re jud. & L. 28. ff. de Reg. jur.* Quæ dum inofficiosam donationem irritam declarant, atque donatori succurrendum esse statuunt, ne liberalitate sua inops fieri periclitetur, nec admittere videntur cessionem, per quam quis alimentis ex ipso beneficio competentia jam constituto provenien-

B

tibus careret; *arg. L. 6. ff. de Cessione bonorum. SALGADO DE SOMOZA Tr. cit. P. 1. cap. 26. n. 3. sqq.* Interest præterea reipublicæ ne mendicorum turba augeatur, quin quod multi hodie privilegio nostro ornantur, ne inopia ipsorum vel ordini, cui adscripti sunt, dedecori sit, vel in officii, quo in civitate funguntur, detrimentum vergat. Nec minus ad illud attendendum esse arbitror, quod nimis grave sæpius foret creditoribus, si ex una parte ipsis alimenta subministrandi necessitatem leges imponerent, ex altera vero pati ipsi cogerentur, ut personæ proxime sibi vel cognatione vel affinitate junctæ, iisdem illis vitæ subsidiis in favorem tertii erogatis, in summum suum opprobrium egestate torperent, vel mendicantium classi adscriberentur. Neque in contrarium facit argumentum, quod alii ex eo ducunt, quod renunciari beneficio nostro possit. Ut enim taceam nondum constare dictam renunciationem ratam esse, deque ejus validitate magnam inter Eruditos pugnam intercedere. vid. *COLLUS de Proc. execut. P. 2. cap. 3. n. 127. sqq.* & *SURDUS de Alimentis tit. 8. Privil. 56. n. 60.* Quod si vel maxime illa admittatur a renunciatione tamen ad cessionem tuto semper argumentari non licet, id quod ususfructus exemplum docet. Quantumvis enim remitti ille ab eo possit, in cuius utilitatem constitutus est, ejusdem tamen in extraneum factam cessionem inefficacem esse leges jubent. *S. 3. Inst. de Usufructu*, & nostri quoque beneficii renunciationem facilius admittendam esse, quam quidem ejusdem in fa-

vorem extranei alienationem ultimum in hac paragrapho
propositum argumentum indicat.

V.

Intricator quæstio est, in quantum jure subsistere
possit *præteritorum alimentorum donatio*, ubi scilicet pri-
vilegiatus pecuniam, quam genium suum defraudans un-
ciatim de demenso suo comparfit, titulo gratuito in ter-
tium aliquem confert? Acriter hac de re & variis utrin-
que in medium prolatis argumentis disceptant Eruditi.
Rationes, quibus donationem hanc tanquam illegitimam
exagitant, in compendio exhibet JOACHIM in *diff. cit.*
§. 26. & *sqq.* Probabilior mihi videtur debitoris liberali-
tatem tuentium sententia, quam calculo suo approbat
TRAUGOTT THOMASIVS in *diff. An debitor pecuniam ob
beneficium competentia sibi adjudicatam, sed nondum perce-
ptam, alteri donare possit? quam sub ejus præfidio defendit,*
J. G. FR. GERBER. *Lips.* 1739. Cessant enim in alimentis
præteritis publicæ utilitatis ratio & alia, quæ paragrapho
præcedente ex persona debitoris ad profligandam dictam
cessionem adducta sunt argumenta. Neque creditorum
favorem evertere obarati liberalitatem posse exinde con-
cludo, quod competentia privilegium beneficium sit ab
ipsis legibus certis debitoribus concessum, quæ facultat;
de bonis inde provenientius disponendi modum nullum
præscribunt nec administrationis rationes exigunt, atqu

fic plenum alimentorum dominium cum omnibus suis effectibus privilegiato tribuunt. Neque in dissentientium partes secedere me cogit ratio ex ipsa competentiae beneficii natura desumpta, quod nimirum eum tantum concedatur in finem, ne debitor egeat, atque adeo creditoribus restituendum sit, quidquid ad istum finem obtinendum haud fuerit necessarium. Licet enim lubens largiari ita statuendum esse, si indeterminata subministrare obærato alimenta creditores teneantur, quoniam tunc eo ipso, quod debitori aliquid reliquum est, probare ipsi possunt, plus se quam satis esset præstitisse, eoque nomine superfluum revocare. Aliud tamen obtinere debet, si vel lex vel iudicis sententia alimentorum quantitatem definit. Ob quam aliam enim rationem hoc fit, nisi ob eam, ut liberae debitoris dispositioni determinata alimenta relinquuntur, ut igitur de modo, quo pecuniam residuam erogare privilegiatus instituit, creditores queri non possint. Sed instant negativæ sententiæ patroni atque donatarium cum creditorum damno locupletiores fieri æquitati adversari asserunt. Equidem haud nego obligatione naturali quemlibet obæratum creditoribus suis plenissime satisfacere teneri, graviterque conscientiam lædere, qui neglecta debito se liberandi occasione pecuniam parsimonia sua acquisitam tertio potius donat, solummodo ut benevolam suam erga ipsum mentem testificetur, quam ad creditores illam reverti patiatur. Verum enimvero non quæritur, quid in foro conscientiae obtineat, sed jus in-

vestigatur debitoris externum, atque asserere non dubito,
 ne damnum quidem allegare creditores posse. Quum
 enim rerum domina lex plenum alimentorum dominium
 obarato tribuat, atque inde proveniente pecuniam cre-
 ditorum bonis eximat, dici non potest privilegiati libe-
 ralitate eorundem patrimonium minui, vel ipsis proprie
 sic dictam injuriam fieri. *L. 55. ff. de Reg. jur.* His præ-
 structis principiis facile nunc etiam repellitur, quod ex
 actione Pauliana depromitur adversariorum telum, quan-
 tumvis enim verum sit, repetere illa actione creditores
 posse ex causa lucrativa acquisita, etiam ab eo qui fraudis
 conscius non fuit, *L. 6. §. 11. ff. Que in fraud. credit.* inde
 tamen non sequitur donationem, de qua nobis quæstio
 est, revocari posse. Pertinet enim actio Pauliana ad bona,
 in quibus jus est creditoribus, nobis vero sermo est de
 pecunia liberæ debitoris dispositioni relicta. Denique non
 major vis inest argumento, quod petunt ex cautione,
 quam præstare debitor tenetur se satisfacturum creditori-
 bus esse, ubi ad meliorem fortunam perveniat. *L. 63.
 §. 4. ff. pro Socio. L. un. §. 7. Cod. de Rei uxor. act. SCHIL-
 TER Exercit. 27. §. 59.* Minime enim illius cautionis effe-
 ctus extendi potest ad pecuniam vi ipsius beneficii com-
 petentiæ perceptam, siquidem ex præcedentibus patet,
 quod de illa omnimodo in suam utilitatem disponere pri-
 vilegiatus queat.

Denique quæritur, *num debitor ob beneficium competentia adjudicatam sibi pecuniam, nondum vero perceptam mortis causa donatione tertio largiri legibus assistentibus possit; an potius fundata sit creditorum exceptio dictam pecuniam sibi relinqui debere postulantium?* Arbitror in tali specie, si de donatione simplici agitur, secundum creditores litem dandam esse. Desunt enim requisita, ut exceptione rei judicatae repelli creditores possint, quippe non adest eadem persona, nec eadem res, nec eadem causa petendi. Adjudicatur debitori pecuniæ summa alimentorum nomine ipsi ob competentia privilegium debita. Supponit igitur sententia personam alimentis indigam, cui ea suppeditandi necessitatem leges creditoribus imponunt. Hæc omnia immutat mors privilegiati, atque res jam in eum statum venit, in quo creditorum obligatione ad certum finem restricta, cessante, omni fundamento suo destituitur sententia antea lata. Neque aliud evinci ex iis potest, quod alimenta præterita tanquam purum & simplex debitum peti queant; quodque creditorum mora in solvendis alimentis admissa privilegiatum jure de istis libere disponendi privare hæud debeat. Hæc enim solummodo obtinent quamdiu beneficium durat, atque conditio alimentarii melior inde efficitur, neutiquam vero pertinent eo, ut in præjudicium creditorum tertius aliquis locupletior fiat ex pecunia, quæ tempore

mortis privilegiati adhuc vere superest; & licet mora sua cuique noceat. hæc tamen regula in nostra specie restrin- genda ex æquitate est ad casum, ubi de commodo ipsius debitoris privilegiati agitur, minime vero ad eum exten- denda, quo tertius aliquis utilitatem inde percipere in- tendit. Favorabilior quippe esse debet creditorum causa de vitando damno certantium, quam lucrum appetentis donatarii. Quæ enim privilegia jura aliis quæsita minuunt, stricte interpretanda sunt. Ex quo principio etiam illud sequi autumo, quod pecunia ista non haberi debeat pro consumpta. Nec obstat quod pecuniæ sibi adjudicatæ do- minus factus debitor plenam de eâ disponendi facultatem nactus sit. Haud enim finit æquitas regulam hanc ad pe- cuniam proferre tempore mortis privilegiati a creditori- bus nundum solutam, quippe ejusmodi donationi vere ob stare videtur cautio a debitore privilegiato creditori- bus præstita, atque donatarii petitioni regula, quod in quæstione, quantum quis facere possit, tempus rei judi- candæ spectandum sit. *L. 63. §. 6. ff. pro Socio.* Longe aliter tamen causam decidendam esse existimo, ubi pro- bari potest magnis beneficiis donatoris personam sibi do- natarium devinxisse, ut adeo donatio remuneratoria sit, præsertim si interea temporis, dum in judicio de compe- tentiæ privilegio cum creditoribus suis litigabat debitor, ne omni auxilio destitutus fame periret, ipsum fovisset aluissetque donatarius. Notum enim est quanto favore jus Romanum atque interpretes donationem remuueratoriam

excipiant, adeo ut pro permutatione potius eam habeant & præteriti officii compensatione, quam pro donatione propria & vera. *L. 19. §. 1. & L. 27. ff. de Donat.* utque varia hic aliter quam in donationibus simplicibus obtinere velint. Sic e. gr. multi Doctores statuunt in ea præstandam esse evictionem, querelam inofficiosa donationis exulare, atque ob *L. 34. §. 1. ff. de Donat.* ejus revocationem cessare, licet aliqua causa subfit, ob quam alia donatio revocari posset. vid. *CARPZOV. P. 2. const. 34. def. 24. & P. 3. const. 30. def. 17. n. 5. sq. COLERI Consil. 60. n. 50. sq. LEYSER Sp. 436. med. 1.*

TANTUM.











B.I.G.

Farbkarte #13

MEDITATIONES

AD

QUÆSTIONEM

NUM

Beneficium competentiæ alimenta que
inde provenientia cedi alteri atque
donari possint?

SUB AUSPICIIS DIVINIS

PRÆSIDE

JOHANNÉ DANIELE BRAUN

J. U. D. ET INST. IMP. P. P. O.

IN UNIVERSITATE ARGENTORATENSIS

AD DIEM XVIII. SEPTEMBRIS A. R. S. MDCCLXXXIII.

DEFENDET


FRANCISCUS XAVERIUS HERRMANN

ARGENTORATENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Literis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.



1783, 1.

8

D. 48